

Q.D. IX. 322.

X19374 A27

Vf  
196

GEORGI CASP. KIRCHMAJERI,  
Acad. Witteberg. P.P. & Senioris, Imperial. LEOPOLD. Ph. II.

DE  
**LOCUSTIS  
INSOLITIS,**


tergemino examine & portentoſo numero, è Thraciâ Daciâque in Pannoniam Inf. perq; Austria, in Germaniæ Region. plures fere infudentibus, & pabula, quò transitus ferebat, depascentibus,

Ad

Virum Scriptis meritissimisq; Celeberrimum,  
**DN.D.CHRIST.FRANC.PAULLINI,**  
Poliatr. Ducal. Nobiliss. Physicum Isenacens.  
Ordin. & Conf. LEOPOLD. Acad. Collegam meritissimum,  
**DISSERTATIO EPISTOLICA.**

---

WITTENBERGÆ,  
Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typogr.  
Anno cl<sup>o</sup> I<sup>o</sup>c XCIII.  
x





Eudayev.

**V**i, in Thermis *Carolinis*, multa mihi  
 documenta singularis nuper amicitiae pro-  
 abvit, Medicus doctrinâ curiosâ & Experi-  
 entiâ commendatissimus, DN. D. CARO-  
 LUS AMANTON TORNESI, *Sanger-*  
*husæ Ordinar. Provincialis Physicus*, hebdomade superiori,  
 additâ LOCUSTA ejus generis, qvod multitudine im-  
 mensâ, in Germaniæ regiones plures florentissimas, Jenen-  
 sem quoque agrum, se infuderat Augusto mense, meam me  
 sententiam rogavit inter alia. Commemmini, me respon-  
 sorias debere tibi, Domine; qui tot me literis suavissimis  
 officiose provocasti hactenus, & velut è veterno, excitâsti.  
 Aberam, indultu Aulæ Procerum (ne feras inclementer!)  
 caussâ valetudinis curandæ, ultra menses duos, in *Franco-*  
*niam montanam*, ut simul invicerem ad Charitates meas,  
*Culmbacum* longius digressus. Nunc quid impedit, ut a-  
 pud te illumque pariter dispungam debitoris nomen, &  
 fidelia parietes dealbem unâ duos. Per ego Te, quæcun-  
 que jura jungunt Amicorum confidentiam, obtestor, ut  
 de meis judicare liberè, & consulere erroribus, (nam ho-  
 mo sum,) digneris! V. Scrib. è museo, pridiè Æqvino-  
 etii Autumnalis, A. cl. Ioc XCI.

A 2

LOCU-

**L**OCUSTA mihi est insectum gradiendo saliens, & volans, bombiland, stridens, vorax, vagum, damnosissimum, in primis pabulis. Ex instituto Locustarum persequi naturam, & expendere illarum nomen, jam non vacat. Dictum id putavit sibi Frater Optimus, M. Theodorus, Pastor & Decanus Diocesis Veimersheimensis in Norgavia; elaborata de his dissertatione; ante annos quatuor & viginti, habitâ hîc Wittebergæ. Variant, pro habitudine locorum, generum, & quantitatis. Corpus iis asperum, & simile equino caput, frons angusta, eminentes oculi, acuti dentes; suprà quos cornicula conspicienda duo. Alas ex membranulis constantes, sed infirmas tenuissimasque gerunt; pedibus quaternis saliunt, aut gradiantur, neque avibus annumerandæ, sed insectis sunt; bestiolæ damnosæ adèò, ut totius anni labor ab his, intrà pauca spatia dierum horarumve, absumatur.

*Insectum esse, arguit textura corporis. nam animalculum εντροπον Locusta, commissuris atque incisuris gaudet. Et hâc ratione distingvuntur à gressilibus, volatilibus, reptilibus, & natatilibus. Naturæ tamen mediæ videtur, inter reptile ac volatile; hinc gradiendo saliens volans ἡ diximus, intuitu volatûs atque saltûs: sed & pedum, alarumque numero. Εξάποδα vocavit Aristoteles; quem & excusant plures & seqvuntur. At enim τετράποδα salutat Scriptor facer in Levitico. Nisi species diversæ concedantur, quadrupedibus annumeramus, nuperas Locustas grandiores. Pedes quatuor habebant, quatuorque alas. Ita ad nos missas deprehendimus Βούβηστας nominat αὐγέσια Aelianus sexto variat. cap. undevicesimo. Canora ideo Poëtis dicitur locusta. Hinc formica objicit famelicæ apud Æsopum, in ejusdem fabulis, Locustæ: Si aestate cecinisti, byceme saltabis. Remigius Altissiodorensis (qui, post Christum natum, nono vixit seculo cadente) in Joeliis c. 1. commentatus: Magnum, inquit, edunt sonitum; ut à sexto milliari (Gallicum intelligit Gallorum monachus,) audiri possit horum sonitus. Homines loquaculi & senes maximè cicadis comparantur ab Homero. Sic, ut Locustæ à locutione*

cutione dictæ aliis putentur. De loquacitate cicadarum multæ  
Tzetzes retulit hist. l. X. n. 301. Idemq;

Quod loquaces sint cicadæ, clarum est omnibus,  
ibidem ait. Dentibus est quoque præditum insectum hoc, quos  
in scapularum commissuris movet. Dentes admodum acutos ha-  
bet. Hieronymus iccīrō: Quid locustis fortius? quibus non  
resistere industria humana potest. Arabes, (qui illas optimè per-  
nōrunt,) rictum, instar serræ, statuunt denticulatum.

Vomx igitur Locusta, ob ingluviem famosa etiam. Ingur-  
gitat, excorticat, deglabrat, gramen, fœnum, vites, arbores. Ne-  
que mortu tantum nocet, sed contactu pariter comburit, inficit.  
Saliva ejus herbis virus aliquod adhalat. Damnosissimum propter-  
ea vocavimus insectum; dum & vivens omnia consumit pabula,  
& mortuum viroso aerem nidore ac foetore replet. Arabes locu-  
stæ primam pestem tribuunt profecto. Quam in rem Samuel  
Bochartus consulendus part. Hierozoic. 2. l. 4. c. 1. Cùm non-  
dum Pharaonis frangi posset contumacia, post mias, muscas, & pe-  
diculos immissæ locustarum copiæ.

Dum vagum diximus insectum, non id volumus, quod sine  
ordine, examine densato, huc illucque volitando errant, instar a-  
pum, muscarumve aut scarabæorum; sed quod Regiones, Regna,  
mundi plagas mutent; Æthiopiam, Ægyptum, Palæstinam, & A-  
rabiam in primis infestantes sæpius locustæ, Sarmatis & Tartaris  
familiares admodum; è quorum oris Daciam, Pannonias, & quæ  
vicinæ sunt Germanis, Occidentem versus transeuntibus ex Ori-  
ente, regiones, nuper etiam huc immigrârunt. Sapiens Rex in  
Proverb. 30,27. Regem, inquit, non agnoscunt; adunato tamen  
ordine egrediuntur. MAGNUM NUMINIS EXERCITUM Pro-  
pheta Joel c. 2,7.8. vocat. Testimonio Theodoreti, oculati testis:  
Non his sufficit murorum altitudo. Facile transcendunt illos: fu-  
rum instar, per fenestras domum impetunt. Quod à locustis fa-  
ctum sèpè vidimus. Expertus fatum fatuus hoc tale Pharaō.

Ut planè videas, à manu Dei, punientis homines, induci Re-  
gionibus locustas, agmina immani numero densata bipartita, tri-

partita cogitabis, instar militarium turmarum; ut ne sibi sint impedimento, aut, propter pabuli consumti, nocumento. Neque abs re Plin. H. N. I. X. c. 37. Deorum iræ peste n hanc adscripsit. Numine; videlicet formatio locustæ ab Amoso c. 7, 1. assignatur: **D**er HENR zeigete mir ein Gesichte; und siehe! da stand einer/der macht Heuschrecken; im Anfang/da das Grummet aufgieng! Fingunt Arabes, Prophetā suo Machomet sedente cum Abdalla, locustam in eorum incidisse tabulam, inscriptione additā ad tergum: *Ego sum Deus; neque ullus est preter me, locustarum Dominum!* qui eas alo, &c, cum libet, immitto; ut sint illis plaga. Conf. iterū Bochart. l. alleg. f. 486. Sed non opus fidei conciliandæ fabulis. *Dixit Deus (i. e. fecit,) & venit locusta, & bruchus, sine numero.* Psal. 105, 34. Conf. Psal. 78, 46. Exod. 10, 14. *Semen multum conferes in agrum; parum colliges; locusta etenim consumet illud;* Devteron. 29, 38. Ibid. v. 42. Arborem & frumentum tuum omnem terræ tuæ abliguriet locusta. Valeat Arnobius, (ex Marcionitarum talia lacunis hauriens, Tertulliano teste,) qui ejusmodi bestiolas negavit Dei opus. Non ipsæ equidem locustæ, sed prodigiosus harum numerus, & noxius, per tot provincias, tam brevi tempore, effectus, in miraculis habendus, nec oblivione mirabilia hæc Dei punientis facta sunt sepelienda; quin memoriæ illorum sedulò ad seros propaganda posteros.

De Pabulo adjiciendum quid. Consensu Aristotelis & Plinii, post fœnisecum, aluntur auctumnali fœno chordo succrescente, omnium lætissimè. Tunc per examina hūc illūc migrant, tanto quidem numero, ut Solem etiam inumbrent. Hinc Marcellus Palingenius Zodiaci octavo lib. tristesq; locustas

In morem { nebulae } nitidum prætexere Solem,  
                  { nubis }

ecce. Histor. lib. 84. Thuanus scripsit: *Syriæ locustæ, nubis dense instar, media in luce, obscurato die volitantes, agrum circumquaque sunt depastæ.* Et ut manifestius appareat, quantoperè sint noxæ? à Muffeto, Londinensi olim, seculo superiore, Medico, suffragium petemus: *Locustæ, inquit, non solùm morsu pascuis, segeti-*

segetibus, pratis, hortis, pomariisque nocent; sed stercore etiam nigro, viridi, mordace, gravi, biliosaque & acri imprimis salivâ; quam multam ex ore, inter rodendum fundunt. Hæc illic idem, ubi de venenis scribit; sed præterea, calamitatem inferunt ingentem mortuæ. Nam odore tetro aeri gravissima contagia inspirant; unde plura hominum millia, quandoque intra paucos dies pereant, quām diuturnis bellis. Sigebertus Gemblacensis autor est, ad A.C. 874. locustas Gallicas in mari Britannico submersas, & in littora rejectas, per refluxum, ab intolerabili fætore pestem excitas- se, quæ absumperit ultra tertiam incolarum partem. Post Jul. Obsequentem Augustinus memorat de C.D.l.3.cap.31. Freculphus pariter in Chronic. l.6. cap.6. & Orosius Hist. lib. 5. cap.ii. quod M. Plautio, & M. Fulvio Flacco Coss. acciderit, cùm immensam locustarum copiam in mare Africanum venti ejecissent, & ad littora propulissent fluctus, harum tabidâ colluvie aci putrefactâ, tām pestiferos vapores infecisse aerem, ut sola in Numidia hominum 80000. circa Uticense atque Carthaginiense littus, plus quām 200000. apud ipsam verò Uticam 30000. militum, qui ad totius Africæ præsidium constituti erant, miserè perierint. Confirmat hæc uberius Bochartus.

Hæc hactenùs, ὡς ἐν παρόδῳ, propter definitionis Locustarum evolutionem. Nunc respicientes ad divisionem, dubia eorum deprehendimus, qui nullam in locustis differentiam specificam admittunt. Poterant hi tamen solam Dei separationem sequi. Moses in Levitico nimirum c. XI, 21. ubi de immundis animalibus & mundis agit, quatuor mundarum nomina (quidni & species?) recenset: סעלן חרב חרבן. Conf. & Joel. I, 4. Quanquam enim largiamur, à colore solo partiumve dispositione quadam non specificam diversitatem desumendam; ( sicut nec inter homines, nec bruta omnis ferè generis, hoc non consequitur;) negandum tamen minimè, differre à se penitus, edules atque venenosas, mundas & immundas. A colore atque genesi enumeravit eas, post Virgili Marcelli observationes, in secundum lib. Dioscoridis laudatus nobis saepius Bochartus part. Hieroz. 2. lib.4.

c. II.

c. II. Sunt, inquit ille, quæ virides, quæ nigrae, quæ liventes, quæ colorem repræsentant alium. Sunt, quæ simplicibus, sunt pluribus quæ volant alia. Sunt, quæ cruribus gradiuntur brevioribus, aut longioribus. Sunt, quæ possunt comedи, ( ut in Palæstina ad Jordanem, & Arabia, ) sunt, quæ pestem & calamitatem regionibus inferre solent. Ex ovo locusta, Daba dicitur Arabibus; cùm alæ jam crescentibus suboriuntur, Gauga. Fœtus ipsemet locustæ Bruchus, antequam indeptus alas volitet: deinde Attelabus: ubi prorsus ad volandum habilis, locusta multis audit. Quædam porrò etiam cornuta, quædam destituta cornibus. Εξαποδες non nullæ, aliæ πτερόποδες. Quis non multiplicem hic videt differentiam? Ut inter se serpentes igitur, & vermes differunt, sic & locustæ. Monet instituti ratio, ut in rem veniamus proprius. Historia videlicet insolitarum magnitudine, figurâ, numero innumero, Augusto mense, locustarum, in Germaniam se infudentium, repræsentanda est. Sarmatiam, in primis Asiaticam, & Europæam bestia & pestis istiusmodi afflitit crebrius, familiaris Orienti & Meridiei admodum. Sed undecunque huc advenerit, ex Dacia & Thracia, exercitus nunc bipartito agmine, nunc tripartito, petiit Hungariae inferioris caput, Budam, seu è regione, Pestum, post auspicium Augusti mensis, computo Gregoriano. Die quartodecimo novellæ literæ Vindobonensium ad nos retulerunt, copias illius, duplii examine, ex parte Urbem, parte aliâ Danubium supervolasse. Austriae relinquens, per Moraviae confines agros, in Bohemiae inferiores limites, ex his, itinere infexo, pars Silesiam invasit, pars Elboganum inter plures alias Bohemicos, invisit circulum. Silesia, præ ceteris Germaniae provinciis, in observando Locustarum hoc phænomeno negotijsa suppeditavit accuratiora, datis Schmidebergâ literis, ad Giganieos montes: Sonsten wird berichtet/ daß uns der Höchste mit denen Heuschrecken/ von welchen einige Zeit aus Ungarn und andern Orten geschrieben/dieser Gegend auch heimgesuchet/indeß man den 21. dieses/als Freitag gegen Abend/ in der 7. Stunde/ die ersten wahrgenommen; umb welche Zeit/ eine überaus

aus grosse Menge über die Felder hinauff/ gegen dem Pas zu  
geslogen/ so mutmässlich übers Gebürge kommen; weiln  
man bald vernommen / daß derer eine schreckliche Menge  
über dem Berge/ durch die Klete/ vorhanden / so aus Böh-  
men herunter kommen. Sonnabend früh vernahm man von  
venen Leuten/ so aus Böhmen und übern Berge herein fa-  
men/ daß selbe vom Pas an/bis nacher Marschendorff/ und  
wieder von Haselbach bis nacher Löbau die lange / in die  
Breite aber bis in die Kolben auffs Gebürge/ einer quer  
Hand dick/ auch eylicher Orten so dick / daß man drinn/bis  
über die Füsse gegangen/ gelegen / und also auff 2. Meilen  
lang/ und in die Breite auff eine Meile/eine schreckliche Mens-  
ge/ so fast nicht zu glauben/ vorhanden; und weiln sie Sonn-  
abends still gelegen/ haben solche am Kolben auffm Gebürge  
und in Dörfern zwischen hier / Löbau und Marschendorff  
an der Saat und Grase grossen Schaden gethan/ besonders  
hat es die Dörffer/ als Haselbach / Diesterhol / Palzdorff/  
und die Leute auffm Kolben im Gebürge / am härtesten bes-  
troffen/ indem sie/grosser Gewende halber/ Gras und andere  
Saat mehr / bis in die Wurzeln weggefressen; der Palz-  
dörffer Schulz schätzt seinen Schaden über hundert Achtl.  
deßgleichen auch des Diesterhol. Scholzen Sohn/ ohne die  
Wäuren. Sonntags/ als die Sonne was hoch am Hime-  
mel kommen/ ist alles von der Löbau herunter gegen Landso-  
hut zu/ und die übrigen vom Gebürge her/ gegen der Rothen  
Beche und Schreibendorff zu marchiret/ wie deren auch eine  
grosse Menge am Brüderwald und denselben Bergen her-  
umb kommen / bis zu Hohenstein. Von da haben sie sich  
gewand/ und gleich über Kirschenwald über die Berge hin-  
über / da es nicht anders geschienen / als wann ein grosser  
Dampff/ oder Wolke hinüber zöge ; der March soll bey

6. Stunden über die Berge gewehrt haben / ich habe selbs-  
ten ein paar Stunden gestanden / und dem March zugeset-  
zen: und weiln der Abend kommen / auch die Sonne sich  
geneiget/ ist der Überrest/ so noch nicht über die Berge hinüber  
gewesen/ am Berge/ gegen der Hochwiese/ beliegen bli-  
ben/ da derer eine grosse Menge von Leuten/ so hinaus gegan-  
gen/ erschlagen worden. Die so über dem Berge geflo-  
gen/ sind in nechsten Dörffern bis über Kupfferberg hinüber  
die Nacht beliegen blieben/ da sie wieder grossen Schaden  
gethan. Montags sind sie wieder weiter marchiret/ welche  
Gegend zu/ weiß ich nicht/ wie denn sonder Zweiffel auf'n  
Advisen wir außführlich vernehmen werden. Es sind  
derer dreyerley gewesen/ so ich gesehen/ als bräunlich/ licht-  
grau/ und silberfarbige/ mit allerhand Farben eingesprengt/  
vergleichen sind auch die Flügel gewesen. Hier haben sich  
keine nieder gelassen/ als ehliche einzelne/ wie wöl derer Hauf-  
fen weise über die Felder herumb geslogen/ an der Sonnen  
haben sie sehr geglanzet; Was uns diese Gäste bringen wer-  
den/ ist Gott bekandt.

Ex Elbogani in Bohemia circulo, relicta Misnia ad dextram,  
limitem Egranum, sed non civitatem ipsam, occuparunt. Inde  
tripartito, velut in communi, agmine, exercitus Palatinatum a-  
lius, alias Variscos in Voitlandia (sic vulgo dicta) petiit; Saxo-  
niā non, nisi obiter & per latus tetigit superiorem; tertia pars  
quorsum iter instituerit? nescitur. Feriatos quasi dies agerent,  
quandoque substiterunt. Ex Egrano tractu, superatis montibus  
sylvisq; Oelsniciensem occuparunt agrum, Plapiam tendentes,  
millari unico distantem. In hoc Oppido plateas, tecta ædium, &  
hortos (mense Mayo, cùm transire millū, mihi visos peregregios,  
in primis Graji mei Consultissimi, qui multis me meosq; beneficiis  
excepit, & Dn. D. Widemann) pestilens insederat examen, medio  
Augusti, Variscorum Curiam prætervolantes, defuentem in Thu-  
ringos

ringos Salam comitantes locustarum copia, quid damni dederint  
in Rebsuensi agro, verbis exprimam Consiliarii Cameræ Principa-  
lis Brandenburgicæ Gravissimi, DN. Joh. Bapt. Dobeneckeri, Ge-  
neri & Patroni mei Nobilissimi, conceptis, post initium Septemb.

Die Frau Hauptmannin N. N. ist zu Rothau gewesen; und  
weiln Sie vernommen/ daß die gedachte Heuschrecken umb  
Rothau sich in grosser Menge befunden/ ist Sie aus Curio-  
sität dahin gefahren/ solche zu besichtigen; welche mir auch  
in die 20. Stücke mitgebracht/ und darbey referiret/ daß  
selbige nicht allein dem Herrn Pfarrer alda/ von 5. Tag  
werck Wiesen alles Grummet weggefressen / daß er nicht  
eine Handvoll davon bekommen/welches auch vielen andern  
Leutchen geschehen. &c. Novellæ Lipsiensis ordinariæ indicium  
perscriptum Jenâ confirmârunt etiam Septembribus Kalendis:  
Verschienen Freitag den 25. August. früh um 9. Uhr sind  
durch die Lufft viel 1000. Millionen Heuschrecken hier an-  
gekommen; also/ daß man kaum den Himmel vor denensel-  
ben gesehen. Die Weinberge sind ganz voll/ und wenn  
sie noch lang da verbleiben/ so fressen sie in dem Feld alles  
hinweg. Sie kommen wie eine schwarze Wolcke geflo-  
gen/ und ist dato diese Stadt gewimmelt voll. Fidem his  
privatis quoque fecit literis Experientissimus Vir, laudatus anteâ  
Amicus, Dn. D. Tornest, additô locustæ hujus aridæ exemplo:  
Welche vor 10. Tagen (verba referto autographa,) zu Jena  
in solcher Menge in der Lufft gezogen kamen/ daß sie fast  
den Himmel verdunkelt/ und in kurzer Zeit das Hirschen-  
Kraut und Gräß/ als die Schaafe/ abgefressen; von bat  
sie mir auch geschickt worden. &c.

Singularia, præ cæteris notatu digna in his erant, (1) numerus  
ad duo millaria Germanica, secundum longitudinem, ad unum,  
latitudine extensus, (nisi quâ separarentur agminatim,) (2) grandior  
& notabilior figura. Incisuris loricatum corpus annulosum, & ad me-  
diū alicujus digitū, in maximis, in minimis, ad minimi extensionem,

longiusculum; caput cum epomide, (sic & *Jonstonus* nominat,) caputioque rubrum, cum 2. antennis sive cornibus; utrinque prominentes oculi, ut cancri, promittent immobiles, (hebetiori ergo visu, propter palpebras absentes, gaudent,) pectus cucullatum; dentes duo, ad mordendum acres, hinc denticulatus rictus; cauda bifurcata; alæ maculis, aut guttulis (an & characteribus interdum?) subcinereis ornatæ; priores pedes graciles quaterni, grallis similes posteriores duo, ad saltandum habiles & remigandum, lacertosæ robustæq; An sex pedibus aliquæ omnes gaudeant? non dixerim. (3) *Color* fuscus, luteus, subviridis, & masculosus; punctis notabantur & exoticis figuris alæ. Per diversa microscopia examinavi oculis, & tessellatam veluti texturam observavi; dentes, cornua, & annulos simul miratus. Mentiri litteras *Ambicas* solebant quædam; an *Armenas* pariter? non defini- verim; cùm paucas viderim. Vidisse tamen dicitur in dextrâ alâ extimâ, Senatui Magnifico significasse *Vratislavensi* Comes Illustriss. *Schafgotschius* inscriptam tesseram: ANNONA MORI- EMINI. *Philippus Camerarius* in hor. subcif. *Conradus Gesnerus*, peculiari de lacertis capite, *Finecius* in Hist. prodigior. & *Wolffg. Franzius* in Animal. Hist. part. 5. c. 4. p. 801. testantur: In Hun- garia Anno 1549. acervum tritici relictum sub aperto Jove, Nobilissimi cuiusdam Virti, *Scorpionibus* refertum, cùm ad triturandum aliquos manipulos, huc accessisset servus, jussu Domini, tunc magnum aliquem, supremo loco consistentem, postquam com- burendus integer acervus erat, monuisse hæc: *Desinite! non spou- te venimus, sed à Deo, in pñnam vestram missi sumus.* Simili se- res modo habet cum *Locustis*, addit *Franzius* ibidem; de quibus sèpè cogitare decet illud Amos. 7. Quando aliquid prædicere iratum Numen vult, loqui asina, ac reprehendere Prophetam. Num. 22, 28. & Palma in pariete vaticinari cogitur; Dan. 5, 24. Vocales lapides futuros, nisi pueris *Osanna* conclamare permitta- tur, Christus ipse dixit. Quicquid sit; non ausim penitus rejice- re de characteribus relata. *Pharaonem* puniturus Deus, Mosis mi- nisterio manuque principaliter affixit per miraculum *Ægyptios* locustis. (4) Tempus memorabile; antecedebant, paucis anteà die-

diebus atque septimanis, insolentiores ac prodigiosi turbines ventorum, fulminum & grandinum, in sata, vites, arbores, ac aedificia, per Franconiam, Saxoniam, Misniam, Thuringiam, & provincias vicinas plures, saevientium, ad hominum terrorem, cum immane clade. *Quis non videt, & vel manibus non palpat Domini in nos excandescientiam?* Sic dixit Dominus ad Mosen (Exod. 10, 12.) *extende manum tuam super terram Aegypti, ad locustam!* ut ascendat super terram, *omnemq[ue] terrae herbam comedat,* ET OMNIA A GRANDINE RELICTA. Conf. Deut. 28, 38. seqq. Amos. 7, 1. Adde, quod sub idem ferè tempus, paulò etiam post, quo de excidio Hierosolymitano actum est in congregazione populi solenniter, hi ad devastandum advolaverint, invisi ac infesti pratis pariter satisq[ue] hospites. (5) Volandi ordo. Non im equidem antesignanos duces, castrorum metatores, acie corporis ordinatum illis vindicare; (alß wenn sie einer richtige Ordnung eines Marches hielten; daß ihre Quartiermeister einen Tag vorher zögen/ und sich niedersiessen/wo die andern nachfolgende logiren/und fouragieren sollen; die Hauptleute vor denen Trouppen marchirten / ihre Avantgarde und Arriergarde/nechst dem Corps du Bataille formirten. &c.) quæ humano potius ingenio debentur, quam irrationali animalculo. Non ergo artifialis hic & militaris ordo est, sed naturalis. Nascitur hæc, inquam, ars, ut apibus, formicis sua est prudentia; non discitur. Quantumvis enim Salomonis testimonio, locusta Regem non agnoscat; exit tamen universa per ordines, per turmas. Nulla inter eas inæqualitas, dum dignitate pares sunt. Non obstant sibi invicem; non antecedit hæc, aut sequitur, sed, veluti fors fulit, migrat, aut cum reliquis subsideat. De locustarum multitudine, quæ Anno 874. Galliam vastavit, S. gebert. Gemblacensis refert: Mirum dictu, tanto turbam illam voluisse ordine, præmissis, qui castra metarentur pridièzur militaris disciplina in iis cerneretur animalib[us]. Sed simile non est idem. Ut nec divo Hieronymo hic mancipemus fidem; tanto ordine locustas volitare, memoranti, ut tessellularum instar, que in pavimentis ab artifice figuruntur manu, suum locum teneant, & ne puncto, aut transverso digito exorbitent. Qvis hæc dimensus est? aut observavit tot myriadum myriadas? Primarium tan-

gendum argumentum est: An majus malum, quam quod inferunt  
 locustæ hæ insolite, significant? DEORUM IRÆ FESTEM nominat  
 yit Plinius. In subtilitatum opere Cardanus lib. 9. Præter certam,  
 inquit, sterilitatem, periculum etiam pestilentia, ac omen ad futurum  
 bellum afferunt. Cardanomastix illa ridet, in examine subtilit. exerc.  
 192. s. i. Hæc sunt Mauritanorum superstitionis verba. Quod scribis;  
 eorum adventum omen esse futuri belli; ridiculum est. Poterat super-  
 sedere hoc sarcasmo Scaliger, non confundendo cum Europa Afri-  
 cam. Non sequitur, quod Mauris est familiare, nihil Europeis indicat.  
 Nec augur egomet, nec vates sum; qvin opto potius, ut vana sint;  
 quæ metuo. Suspendam igitur judicium tantisper meum, donec ab  
 eventu, & exemplis, numerosè adducendis, constet, quid de quæstio-  
 ne sit habendum. A. M. 3841. post Maccabæorum tempora M. Plau-  
 tio Hypsæo, & M. Fulv. Flacco, Coss. horribilis in Africa exorta à lo-  
 custis pestilentia, millena millia hominum delevit. Vid. præter alios  
 Scriptores, supra allegatos, in Hist. Misc. Paul. Diacon. l. 4. n. 27. A.  
 C. 165. Pestilentia & fames ingens M. Antonini Philos. tempore, affli-  
 xit Romanam. Quin & testimonio Aurel. Victor, Epit. c 16. Locustarum  
 species agris infestæ, prorsus ut nihil non favierit: ab armis my-  
 quam quies erat, lues crebrem &c. Conf. P. Diac. X, 15. A. C. 593. tempore  
 Agilulphi Regis Langobardici, tot locustarum agmina, in summa  
 siccitate consumserunt, quicquid erat viride in terris; inde famæ  
 ingens. A. C. 852. grandiores solito locustæ, viri pollicem æqvantes,  
 pabula extera quæsituræ, tanto pennarum stridore volitantes ad  
 Occiduum, ab Oriente, alites ut crederentur, aerem fætore tanto  
 corruerunt, ut dirissima exinde sequeretur pestis. Ex Pompejo  
 Vizanio hæc Ulyss. Aldrovandus memorat 4. de Insect. f. 167. edit. Furt.  
 1623. A. C. 1084. Russiam (non Prussiam, ut quidam) locustæ invase-  
 ront; quo tempore Rex Boleslaus in Hungar, exulans à suis amens  
 ipse canibus est devoratus: intestinum Russis bellum indicarunt.  
 A. 1271. omnes Mediolani segetes depopulatae sunt locustæ, ut A. 1339.  
 Lombardia totius agros; unde dira famæ. A. 1375. quo tempore  
 à Comite Job. Galeatio Scaligeris erepta & Verona, & Vicentia est.  
 Augusto mense locustarum copia innumerabilis, maritimis rejecta  
 fluctibus, effecit aerem pestiferum. A. 1541. ut retulit Cornelius Gem-

ma, & Italiā citeriorem, & in Germania Silesiā Misniamq; turbā locustarū maxima affixit adeo, ut intolerabili fœtore passim aērem corrumperet. Bizari Petri fide constat, in Hist. Genuens. l. 22, à fin. locustarū plurima examina A. 1543, ex æthere instar nivis grandinisq; decidisse; quæ, quicquid erat herbidum & frondosum, non sine tabo aliquo relicto ambedefunt. Frequentiores in Lutetianum agrum convolaverant, ut glomeratæ cubitotenūs ita agris deprehenderentur. Tb. Moufet. de Insect. c. 1. c. 16. ex Ekerlio. in Hist. Nat. l. 1. de Insect. tit. 2. c. 1. f. 83. Job. Jonston. sub exortum motuum Tartaricorum cum Cosacis, suo tempore, in Polonia locustas visas ibi, ubi postea tantoperè tumultuatum fuerat. Exempla plura lübens transeo. Loquantur Moses, David, Amos, Joel, alii Prophetæ! unde veniant locustæ: & cur immittantur? Fallor? an in ipsis retulerunt alis verba hæc: EXERCITUS NOS DEI SUMUS. Mihi jam non vacat, vel refellere, vel confirmare argumentis, an hæc vera sint? MORIEMINI ANNONA. Scientissimus Orientalium LL. doctor publicus, & merentissimus Ecclesiastes, Dn. M. Acoluthus dicitur ad populum hæc talia concionatus Vratislavia, (qtid pervenerunt etiam densato agmine examina,) & subiecisse alias inscriptio-nes: NOVI POPULI! nec non, IMMANES! Mala omnia aver- runcassit Numen!

Si quis tandem ex me quærat: An, & que sint viæ depellendi pestilens insectum hoc? recensiturus aliquot sum modos. Testimonio Homeri ignibus fugantur; & Democriti judicio, per nebulam. Sed quando hæc in nostra non est potestate, tutius per fumum ex amaricantibus (sic appellare liceat,) farmentis lupuli, similibusq; ve alimentis ignium, fumigatio idoneis. A pyrio abhorrere pulv- re locustas, atque machinis fulminaticibus, exemplum nuper docuit ingeniosum Comitis Illustrissimi de Nostitz, qui à Falcke-naviensi eas agro depulit. Non possum non mirari, campana- rum toto penè dic consonantium tinnitu & clangore, ne invaderent Egranam Civitatem (cùm hunc alioqui sonitum non fu-giant,) fugatas esse; nisi à tormentis aer tremulus & reboans ter- rori fuit.

Manè quidam eas collegerunt, dum adhuc sunt torpidæ;

colle-

collectas terrā obruerunt, aut defodierunt vivas; ne ex occisarum ovis novae prodeant. Non violabunt vitem temerè, si ad radicem grana aliquot sinapis projiciantur; Geoponicorum fide. Alios Jonstonus in Hist. Nat. alias Ulyss. Aldrov. etios Mousetus in Theatro insectorum ex Scriptoribus antiquis (quos non expilamus,) protulit. Autore Plinio, H.N. lib. II. c. 29. in regione Cyrenaica per legem tenebantur incolæ, ter qvovis anno illas debellandi: primum ovadbro, inde fœtum, denique adultas. A 1542. Dux Mediolanensem 12000 saccos jussit adimpleri. Bonum factum! Ultinam, quod olim Duces in Saxonia nonnulli (D. Franzio commemorante, Hist. Animal. part. 5. c. 4. p. 79) in mandatis dederant, huc adigendo subditos; ut certo anni tempore de erucis, antequam ex ovulis erumpant, & examina dimittant, colligendis & interimendis; idem facerent, in illis regionibus, quas involârunt, & in his miasmata, & semina deposuerunt noxia locustæ! cùm verendum sit omnino, teste toties experientia, seqventi anno, ubi castra sua, vel hyberna penitus metatæ sunt, renascituras atque reddituras esse numero majori. An ad arma veniemus potius? non corporalia, sed sacra, id est, pœnitentiam & preces, serio fundendas.

Insana cicadarum agmina, Imperio Sinensi frequentissima, armata manu, cum vexillis suis rusticos depellere quotannis solitos, Neubofius recenset in Itinerario illius Regni. Livius jam dum simile quid prodidit de devastantibus Lucaniam locustis; (lib. 42 cap. 10. Hist.) ad tollendam eam pestem missum cum imperio Praetorem, Cn. Sicinium, ingenti numero stipatum ad has colligendas, multum absurisse temporis. Plinius Seleucides votati aves scribit, quæ locustas devorent fugentque. Has à Jove precibus Casini montis impetrasse accolas, existimat. Remedium nos præsentissimum opposituri à propitiando nobis Numine irato sumus. Conclamemus, cum Propheta Amos, ad supremum locustarum directorem: *O parce, queso, parce Domine!*  
*quis erigit Jacobum? qui jam satis parvulus?*

*O fiat! Vale Tu, & fave Tu!*

1077  
1077

**L**OC  
bom  
mis  
& e  
putavit sibi  
ceseως *VVe*  
tione; ante  
riant, pro ha  
iis asperum  
culi, acuti c  
las ex mem  
runt; pedi  
annumeran  
tius anni la  
sumatur.

*Insectu*  
*εντομον* Locu  
tione disting  
tilibus. Na  
hinc gradien  
tūs: sed &  
ristoteles; q  
regimoda sal  
concedantur  
grandiores.  
nos missas de  
sexta variar  
ita. Hinc fo  
fabulis, Locu  
tissiodorensis  
dente) in *Joe*  
*tum*; ut à se  
chus, ) audir  
maxime cicada

LOC 1

**Kodak**  
LICENSED PRODUCT  
Black

© The Tiffen Company, 2000

**KODAK Color Control Patches**

Centimetres

8  
19  
18  
17  
16  
15  
14  
13  
12  
11  
10  
9  
8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Inches  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

ns, & volans,  
limum, inpri  
equi naturam,  
Dictum id  
Decanus Dice  
e his disserta  
tebergæ. Va  
tis. Corpus  
eminentes o  
da duo. A  
limasque ge  
neque avibus  
adèò, ut to  
arumve, ab  
animalculum  
. Et hâc ra  
bus, & nata  
e ac volatile;  
tûs atque sal  
z vocavit *A*  
At enim te  
ccies diversæ  
ras Locustas  
alas. Ita ad  
ida *A*Elianu  
licitur locu  
in ejusdem  
*Remigius Al*  
it seculo ca  
edunt soni  
rum mona  
culi & senes  
ocustæ à lo  
cutione